



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 125. S. Sindonis translatio Constantinopoli in Sabaudiam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Præter hæc duo opera mox laudata, Sæcul. XV. A.C. 1453.
 plura alia e calamo suo profluxere, quorum nonnulla typis impressa, cetera adhuc manuscripta asservantur: præcipua vero sunt; Epistola ad Græciæ Episcopos de unione; tres orationes in Concilio Florentino habitæ Labbe Conc. Gener. to 13. p. 1543 de medijs procurandi unionem dogmaticam; Tractatus de processione Spiritus sancti adversus Marcum Ephesinum, quem tamen non absolvit; Appendix ad op. S. Basilii p. 217. Gennad. item tractatus de prædestinatione inscriptus Josepho Monacho Thessalonicensi; Bibl. PP. l. cit p 608. Genn. hom. plures orationes, & homiliæ, & inter ceteras una de Eucharistia, præter orationem Sanctissimæ Trinitati nuncupatam, & plura alia opuscula, quæ sigillatim recenset Renedotius.

§. CXXV.

S. Sindonis translatio Constantinopoli in Sabaudiam.

Nonnullorum Auctorum opinio fert, quod sacram Sindonem, quæ Taurini asservatur, hoc eodem anno Margaritha Carna, ab avita Regum Jerosolymitanorum stirpe orta, in Sabaudiam transtulerit, ac Ludovico Sabaudix Duci, & Carolinæ Cypriæ ejus conjugi reliquerit, atque ambo postea sacro huic thesauro digne recondendo facellum marmore vestitum Camberii extruxerint. Nec de Spond. contin. ad ann. 1453. Gualt. chronol. l. 15.
Histor. Eccles. Tom. XXVIII. Bb sunt

Sæcul. XV.

A.C 1453.

funt coæva numismata, in quibus una ex parte impressa cernitur S. Sindon ab Angelo trophæi ad instar deportata cum hac epigraphe: *Santa Sindon D. N. Jesu Christi*, subjuncto inferius Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio. Altera vero pars præsefert imaginem Ducis cum hac inscriptione in orbem extensa: *Ludovicus D. G. Dux Sabaudia Max. in Italia*. Nihilominus Camufatus narrat, sacras hæc reliquias jam ab anno millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo per Godefridum de Carni Equitem Burgundia oriundum Ecclesiæ Lirensi Diocesis Tricassinæ in Campania dono datas esse, inde vero succedentibus annis Camberium translatas ob turbas, quas in Galliis Joannes Burgundiæ Dux fuscitasset; his tamen sedatis, denuo Lirensi Ecclesiæ redditas, & usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum quinquagesimum tertium ibidem asservatas esse, quo denique anno Margaritha Carna easdem Sabaudiæ Duci donavit. Taurinum delatæ dicuntur anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, dubiæ vero fidei inniuntur cetera, quibus easdem Constanti-nopoli durante obsidione extractas contendunt Auctores; quippe P. Adornius Societatis Jesu natione Genuensis testatur, quod Magnus Rhodiorum Magister Amadæo Sabaudiæ

*Camus
prompt.
sacr. antiq.
Tricass.
dioces.*

Lirey

Sabaudiaë Duci, dum huic Insulæ a Tur-
 cis obsessæ opem laturus eo venisset, has
 reliquias dono dederit, ut eidem ob præ-
 stita Equestri huic Ordini auxilia grati-
 tudinis suæ monumentum relinqueret.
 Bailletus fusiore calamo hanc translatio-
 nem prosequitur; verum ex cunctis ab eo
 relatis minime apparet, sacram Sindo-
 nem Constantinopoli anno, quo urbs ca-
 pta est, ereptam fuisse, eoquod Godefri-
 dus de Carni, qui thesaurum hunc jam
 antea possederat, eundem in Ecclesia
 Lireiensi, quam anno salutis supra mille-
 simum trecentesimo quinquagesimo ter-
 tio extruxerat, deposuisset, ut voti a se
 nuncupati religionem exsolveret. Idem
 suis Canonicis significasse dicitur, se hunc
 thesaurum ab Infidelibus jure belli ac-
 quisivisse, qui quamprimum publicæ fi-
 delium devotioni exponebatur, confe-
 stim ad hanc Ecclesiam ingentem populi
 multitudinem atraxit. Verum Henricus
 Pictaviensis, Episcopus Tricassinus, de
 veritate harum reliquiarum necdum satis
 firmo edoctus argumento, eas exponi
 prohibuit; nihilominus Godefridus de
 Carni junior, primi Fundatoris Filius a
 Legato (*) Clementis VII. impetravit,
 ut

Sæcul. XV.
 A. C. 1453.

Baillet. Vit.
 Sanct. in
 fest. mobil.
 ad fer. sext.
 in Parasce.

(*) Hic erat Petrus Torcy Cardinalis tit.
 S. Susannæ.

Sæcul. XV. ut sacræ huic Sindoni consentiente Episcopo publici tantæ rei debiti deferrentur honores; quapropter Canonici sacras hæc reliquias, quas viginti quatuor annis inclusas servabant, illico publicæ fidelium venerationi magno cereorum, aliorumque ornamentorum apparatu exposuerunt. Cum vero Petrus ab Arciers eo tempore Episcopus Tricassinus edito libello imposturas, quibus fideles deciperentur, detegens, (*) hanc expositionem prohibuisset, Canonici ad Clementem VII, qui tum Avenione residebat, recurerunt: Papa hujus Antistitis rationibus aures præbens, Apostolicis literis die sexta Januarii Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo datis S. Sindonem exponi permisit, absque tamen ornamentis, atque cereis, affixa quoque inscriptione, qua illam non esse genuinum Christi Domini sudarium, sed illius duntaxat effigiem, sicut ceteræ essent imagines, significaretur. Canonici hac Pontificis sententia moti, sacras hæc reliquias denuo inclusas servabant: quæ ita fide-

(*) *N. P. Honoratus a S. Maria Carm. Diss. in suis animadversionibus in Regulas Critices tom. 3. lib. 5. Dissert. 6. artic. XI. Bailletum refutat, ac harum reliquiarum veritatem vindicat, quapropter eximium hunc Criticum præ ceteris consulendum existimamus.*

fidelium oculis subductæ usque ad an-
 num millesimum quadringentesimum de-
 cimum octavum permanserunt, quo illas
 iidem Canonici civilibus exortis diffidiis,
 apud Humbertum de Rupe Comitem, ac
 Villeriæ-Sesseli Dominum deposuerunt.
 Hujus conjux Margarita Carna sacram
 Sindonem retinuit, insuperhabita senten-
 tia a Senatu Dolæ in Burgundia pronun-
 tiata, qua eandem restituere jubebatur,
 etiamsi jam antea alio decreto nobilis
 hæc femina has reliquias Lireiensibus
 Canonicis, data pecuniarum summa, soli-
 dis tribus adhuc annis retinendi faculta-
 tem obtinuisset. Dum hæc Dolæ gereban-
 tur, ipsa anno millesimo quadringentesi-
 mo quinquagesimo secundo Camberium
 profecta reliquias suas Annæ Cypriæ-
 Lusignani Sabaudia Ducissæ dono dedit,
 erecto donationis instrumento die vigesi-
 ma secunda Martii, eademque occasione
 Ludovicus Sabaudia Dux illa numisma-
 ta, quorum supra meminimus, cudi cu-
 ravit. Canonici Lireienses, comperta
 reliquiarum donatione, Margaritam Car-
 nam in jus vocarunt apud Bisuntinum
 sacri fori Judicem, quem *officialem* vulgo
 vocant. Hic anno millesimo quadrin-
 gentesimo quinquagesimo septimo eam
 excommunicationis sententia affecit, quæ
 tamen idcirco donationem nequaquam
 revocavit, donec tandem Sabaudia Dux

Sæcul. XV.

A.C. 1453.

Ad. app.
Chiffler. pag.
 105.

Sæcul. XV. anno millesimo quadringentesimo sexage-
A C. 1453. simo quarto Lutetias veniens, re cum
 Canonicis composuisset, atque illis quin-
 quaginta libras auri minoris ponderis in
 annuos redditus dare pollicitus esset, salvo
 sibi sacram Sindonem retinendi jure.
 Amatus Dux, ejusdem Filius in illius ho-
 norem Camberii in arce sacellum extru-
 xit, quod Paulus II. anno millesimo
 quadringentesimo sexagesimo septimo in
 Ecclesiam Collegiatam erexit. Postea
 sacrum hoc Sudarium primo translatum
 est Vercellas, inde Nicæam, ac denuo
 Vercellas, tandemque vigesimo sexto post
 anno, nimirum millesimo quingentesimo
 sexagesimo secundo Camberium repor-
 tatum est. Denique Emanuel Philippus
 Sabaudiaë Dux, ne S. Carolus sacras
 hasce reliquias veneraturus pedestri iti-
 nere Camberium usque progredi com-
 pelleretur, easdem Taurinum transporta-
 ri curavit, ubi ad nostra usque tempora
 in Ecclesia metropolitana asservantur.

§. CXXVI.

*Mahometis fœdus cum Peloponnesi
 Principibus.*

Ut nihil memoratu dignum, quod Con-
 stantinopolitanam cladem attinet, o-
 mittamus, referre adhuc oportet id, quod
 Chalcondyles literis proditum reliquit,
 ex